g

EOGRAPHIA deſignatrix imitatio eſt totius cogniti orbis: cum his quæ fere uniuerſaliter ſibi iungun-tur. a Chorographia hæc differt. Nã chorographia particularius a toto loca abſcidens /per ſe de quolibet ipſorum agit:deſcribens ferme ſingula etiam minima conceptorum a ſe locorum.quemadmodu3 Portus: Villas: Vicos: Fluuiorum conuerſiones:ac huiuſmodi loca alia. Geographiæ autem propium eſt unam eandemq; habitabilem terram nobis cognitam oſtendere quomodo natura ſituq; ſe habeat:circaq; ea tantum intẽdit:quæ per deſcriptiones orbis magis generales ſibi iungũtur: ueluti circa maiora oppida:magnas ciuitates: montes etiam:fluuioſq; inſigniores:præterea circa ea omnia quæ iuxta quamlibet ſpeciem maiori notadigna ſunt. Finis chorographiæ eſt partem totius ſigillatim animaduertere:ut ſi quis aurẽ tantum/aut oculum pingat. Geographiæ uero totum inſpicere/iuxta proportionem:ut ſi integrum quis caput deſignaret. Integris enim imaginibus cum oporteat potiora membra primum adhiberi: deinde ea quæ imagines picturaſq; ſuſcipiunt ita æqua dimenſione inter ſeſe locari/ut ex iuſta diſtantia uiſu poſſint diſcerni an totum ſeu pars ſint illius quod pingitur:ſequitur nõ indigne nec præter rem chorographiæ quæcunq; etiam minima/geographiæ uero regiones ipſas cũ his quæ generalius ſibi adnectuntur:propriũ eſſe preſtari. Nam potiores noſtræ habitabilis partes:quæ æqua dimenſionum proportione notabuntur: prouinciæ ſiue regiones ſunt.& harum priora membra & differentiæ magis inſignes quæ in ipſis regionibus ſunt. Verſatur autem chorographia quam maxime circa quales/magis quam circa quantum: eorum quæ deſcribuntur. Circa enim pingendi ſimilitudinem omnino uertitur:cura ſituũ proportioneq; dimiſſa. Geographia uero magis ad quantitatem q̃ qualitatẽ intẽdit. Nam de proportione diſtantiaru3 animaduertit in omnibus:de pingendi uero proprietate/ nõ niſi ſolum in imaginibus maioru3 deſcriptionum. Vnde chorographia pictura eget/nulluſq; eam recte componet/niſi homo pictor. Geographia autem non idẽ expoſtulat. Nam poterit quis per puras lineas/nudaſq; denotationes/loca figere/ac figuras generales inſcribere. Quare illi mathematica opus non eſt. ſed geographiæ ea eſt potior pars. Contemplari enim in hac oportet totius orbis magnitudinem & formam. Præterea ſitus ad totuũ orbem/ut fas ſit partem conceptam qualis & quanta ſit dicere/& ſub quibus cœleſtis ſphæræ parallelis locetur. Vnde de dierum ac noctium magnitudinẽ/de fixis quæ ſupra uerticem nobis ſunt/de ſtellis quæ ſupra horizontem nobis feruntur:de his quæ perpetuo nõ nobis oriuntur/de omnibus deinde quæ ad rationem habitationum noſtrarum ſpectãt/ diſſerere poterit. Quæ humanis ingeniis mathematico iure demonſtrari / altiſſimum atq; pulcherrimum eſt:ut cœlum ſcilicet ipſu3 natura ſua ſeſe habeat (oſtendi enim id poteſt cum nos circumambiat) Terram etiã ipſam per imaginem oſtendunt:quæ q̃uis certa:& maxima ſit:neq; uniuerſa ipſa:uel ipſius pars nos ueluti cælum circumambiat:ab eiſdem tamen qui cæli plagas ſcrutari auſi ſunt/peragrari poteſt.

QVAE AD GEOGRAPHIAM PRAESVPPONENDA SVNT.

Cap. II.

q

VIS Geographiæ finis & in quibus a chorographia differat: ſtrictim in prioribus annotatum ſit. Cum autem in præſentia propoſitum ſit habitabilem noſtri orbis deſcribere qua3 maxime fieri poſſit intra ſeſe coæqualem/neceſſe arbitramur in exordio præponere quod huius rei primum eſt: ſcilicet q; hiſtoria peragrationis plurimam notitiam nacta eſt ex illorum traditione qui diligentiſſime regiones quaſq; exploraueru̇t:q;q; huiuſce animaduerſionis atq; traditionis ad geometricam hoc: illud ad obſeruationẽ fixaru3 pertinet. Quod geometricum eſt per puram dimenſionem diſtantiarum oſtẽdit qualiter loca inter ſeſe ſint ſita. Quod uero ad ſuperiora refertur/eorundem locorum poſitiones per fixas docet:cum aſtrolabiis & ſciotheris inſtrumentis. Hocq; certum quidem eſt/nec in aliqua re anceps. Illud uero genius & imperfectius: & altero eget. Nam primo:cu3 neceſſe ſit utroq; in modo præſupponi ad quem ſitum duorum locorum diſtantia uergat (Non enim ſimpliciter ſolum ſcire oportet quantu3 hic locus ab illo diſtet:ſed uerſus qua3 cæli plagam:hoc eſt an ad ſeptentrionem (ſeu ut ita loquamur) ad ſolis ortum:aut alias particulares inclinationes) in poſſibile eſt hoc conſiderare diligentius abſq; dictorum inſtrumentorum obſeruatione. Ex ipſis enim quocunq; in loco:omniq; tempore facile ĩueniri poteſt ſitus lineæ meridianæ/perq; hanc diſtantiarũ peragratarũ noticia habeatur. Deinde hoc etia3 dato:neq; propterea dimenſio quæ fit ex numero ſtadiorum nobis certam noticiam præbet/ ob itinera quæ raro recta ſunt; diuerſionibus multis

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

terra mariq; ita actis: ut opus ſit ex terreſtri iti nere ſecundum qualitatem & quãtitatem di ſtantiarum obliquarum: id q d rectum iter ex cedit coniectare/atq; e ſtadiorum ſumma mi nuere: ut recta uia inueniatur. Quod etiaꝫ in nauigationibus ea ex cauſa contingit: uento rum flatu per totum iter cuꝫ æqualitate mini me ſeruato. Præterea & ſi eorum locorum di ſtantia diligenter habita eſt: non tamen habe tur ratio ad totum terræ ambituꝫ: neq; captaꝫ ſitus eiuſdem ad æquinoctialẽ circulum: uel ad polorum ſitum. Diſtantia autem quæ ex obſeruatione ſuperiorum acquiritur: horum quodlibet diligenter oſtendit demonſtrans quantas circunferentias uiciſim circuli paral leli meridianiq; qui ꝑ loca ipſa ſunt deſcripti intercipiunt/hoc eſt quales circunferẽtias in meridionalibus paralleli & æquinoctialis in tercipiunt: quales ue in parallelis & in æqui noctiali meridionales. Deinde docetur quo tam partem occupent: ipſa duo loca: circunfe rentiæ maximi circuli per eadẽ in terra deſcri pti. Quæ dimenſio parta ex ſuperioribus: ſta dioruꝫ numeratione non eget: habita ratione partium terræ ad totius deſcriptionis ambi tum. Nam ſat eſt circulationem ipſius terræ ſupponere tot eſſe partium quot libuerit: & harum totidem contineri a diſtantiis præno tatis in circulis ipſius terræ maximis. Sed ad diuidendum totum terræ ambitũ: aut ipſius partes: in diſtantias noſtris ſtadiorum dimen ſionibus notas: hæc æque non ſufficit. Quare ob hoc ſolum neceſſe fuit quãdam rectam in terra diſtantiam alicui circunferentiæ maxi mi cuiuſdã cæleſtis circuli adaptare: & ex fixis habita huius proportione ad totum circulũ: ac percepto numero ſtadiorum ipſius partis: ſeu datæ in terra diſtantiæ: poterimus totius orbis ambitum per ſtadia metiri. Conceſſum enim cuꝫ ſit ex mathematicis demonſtrationi bus: totius terræ & aquæ ſuperficiem ad totũ ſphæricam eſſe: & idem centrum cum ſphæra cæleſtium ſimul habere. & ꝑ plana quælibet quæ per centrum emittuntur: in communi bus ſui & ipſarum cæli terræq; ſuperficierum ſectionibus. maximos circulos faciunt: ꝙq; eorundem planorum anguli qui circa centrũ ſunt/circunferentias circulorum ipſorum in terceptas: eiuſdem unius rationis efficiunt: ſe quitur diſtantiarum quas in terra ſuſcipimus quantitatem quippe ſtadiorum (ſi diſtantiæ rectæ ſint) ex dimenſionibus poſſe percipi: rationem uero ab eiſdem ſtadiis ad totuꝫ ter ræ ambitum minime inueniri: quia nulla ad totum ꝓportio hinc dari poteſt. A ſimili au tem circunferentia cæleſtis circuli datur. Naꝫ cæleſtis circunferentiæ ratio: in propria totius terræ circulatione captatur: eademq; ratio eſt ſimilis portionis in circulo terræ: quæ ad ma ximum ipſius circulum.

Quomodo ex ſtadiorum dimenſione cuiuſ cunq; rectæ diſtantiæ & licet non ſit ſub eo dem meridiano: menſura ambitus terræ per cipiatur & econtra.

Cap. III.

RIORES quidem igitur non tantum rectam quæ ꝑ rebant diſtantiam in terra ut circunferentiam maxi mi circuli captarent: ſed eã quæ ſitum teneret in plano ſub uno ipſo me ridiano. Vnde per inſtrumenta quæ diximus obſeruantes puncta quæ ſupra uerticem erãt utriuſq; finis diſtãtiæ datæ: ex his ſignis inter cæptam meridiani circunferentiaꝫ: ſub æqua ꝓportione ad diſtantiam in terra notatam habebant. Nam ut dictum eſt ſigna præfata in uno plano aſſumebãtur: & lineæ tranſeun tes per extrema diſtantiæ ad puncta quæ ſu pra uerticem erant neceſſario concurrebant: & quia huius coincidẽtiæ punctus cõmune circulorum ipſorum erat centrum: quota er go pars circuli per polos deſcripti uidebatur intercepta ab utroq; puncto ſupra uerticem aſſumpto circunferẽtia: totam eſſe conſtabat circunferentiam ad totum terræ ambitum. Sed ꝙ ſi huiuſmodi diſtantia non eſt ſub cir culo per polos deſcripto: ſed ſub alio quoli bet maximorum: idem oſtendi poteſt: obſer uatis pari modo eleuationibus poli in termi nis ipſius diſtãtiæ: & animaduerſo ſimul ſitu: quem habet ipſa diſtantia ad alteruꝫ meridio nalium: plane demonſtrauimus nos ꝑ inſtru mentum meteroſcopium: quod ad obſerua tionẽ umbrarum ſtruximus: quo multa etiã alia expedite captamus utiliſſima. Nam uno quoq; die nocteq; ꝑ loco obſeruamus bo rei poli eleuationem: ſingulis uero horis poſi tionem meridianam: ad ipſamq; tranſitus ha bemus diſtantiæ datæ huiuſq; dimenſioneꝫ: hoc eſt quales facit angulos maximus circu lus deſcriptus per lineam diſtantiæ cum cir culo meridiano: iuxta punctuꝫ qui ſupra uer ticem eſt. Ex quibus & quæſitam circunferen tiam per ipſum inſtrumentum oſtendimus: & circunferentiam a duobus meridianis in terceptam: ſi paralleli alii ſint q̃ æquinoctia lis. Vnde iuxta demonſtrationem hanc ſi me tiemur unam ſolam rectamq; in terra diſtan tiam: numerus ſtadiorum totius ambitus ter ræ inueniri poteſt. Perq; autem hoc reliquuꝫ eſt ut & omnium cæterarum diſtantiarum di menſio (licet rectæ omnino nõ ſint) neq; ſub eodeꝫ meridiano aut parallelo) percipiaꝫ: ele uatione poli: & inclinatione diſtantiæ ad me ridianum diligẽter ſeruata. Rurſus enim per rationem circunferentiæ ad maximum circu lum: ſtadioruꝫ numerus facile haberi poteſt: a cognita circulatione totius terræ.

Quod obſeruata ex ſuperioribus preponenda ſunt noticie peragrantium.

Cap. IIII.

Is ergo ſic habitis: q regiones ſigilatim circūambulauere: ſi huiuſmodi obſeruatiōibus uſi fuiſſent/oīno certā deſcriptionē noſtræ habitabilis facere potuiſſent. Sed cū ſolus Hipparcus paucaꝝ admodū ciuitatū: pro eaꝝ copia quæ in Geographia notant: eleuatiōes poli arctici nobis tradiderit: ac loca p pauca ſub eiſdē ſita parallelis notauerit: aliqui uero poſt ipm quædā retulerint locoꝝ oppoſitoꝝ: nō tn q̄ æqualiter diſtarēt ab æquinoctiali: ſed ſimplr ſub eiſdē ſita meridianis: id ſummētes ex nauigationibus uel borea uel auſtro ſecūdo factis: q̄ plures āt diſtātiaꝝ: p̄ſertim quæ ad ortū ſolis: ſiue ad occaſum uergerēt: cōceptæ fuerint/ex generali quadā traditiōe/nō ex auctoꝝ ipſoꝝ ignauia/ſed q d nōdū diligētioris mathematicæ uſus foret: præterea qa nō multi defectus lunares in eodē tpe diuerſis ī locis obſeruati fuerāt/quēadmodū eclipſis illa quæ in Arbilis ſub hora qnta/in Carthagine uero ſub ſecūda notata fuit/ex qbus uideri poſſet quot horis æquinoctialibus/ſeu quot rēpoꝝ ſpaciis loca iter ſeſe diſtarēt ad ortū ſolis uel ad occaſū/æquū quoq; eſt deſcripturū Geographiā/quæ nouerit diligentiori obſeruatione notata/tanq̄ operis ſui fundamēta præponere: alia aūt a cæteris tradita/his adaptare/quouſq; ipſoꝝ inuicem ſitus/q̄ maxime fieri poſſit/cū primis traditionibus certiores inueniantur.

Quod recentioribus hiſtoriis credendum magis ſit/ob mutationes quæ diuerſis temporibus in orbe contingunt.

Cap. V.

Nitiuꝫ igit noſtræ deſcriptiōis/his prælibatis: ſic cōueniēter haberi poterit. Sed cū loca omnia quæ aut ob infinitam eoꝝ magnitudinē/aut quia non ſemper eodē modo ſeſe habent/non oīno ſatis explorata ſunt/& diuturnius tempus eoꝝ notitiā ſemp icertiorē faciat/circaq; Geographiā hoc animaduertendū uidet/cum conceſſum ſit extra ditionibus uario in tempore editis/nō nullas noſtri continētis partes/ob exceſſum ſuæ magnitudinis/nōdū ad noſtrā p̄ueniſſe notitiam/aliquas uero nō quēadmodum ſeſe habent/ob peragrātiū negligētiā/nobis minus diligenter traditas/alias aūt eē quæ nūc aliter q̄ hactenus ſeſe habent/ſiue ob corruptiōes/ſiue ob mutationes/in qbus pro pte corruiſſe cognitæ ſūt: neceſſe nobis eſt ad nouas tēporis noſtri traditiones magis intendere/obſeruantes tamen in expoſitione illorū quæ nunc tractant/& in ſelectione eorum quæ hactenus tradita fuerint/quid ſit/quid ue non ſit credendum.

De editione Geographiæ marini.

Cap. VI.

Arinus igitur tyrius tempeſtatis noſtræ Geographoꝝ poſtremus: ſūmo uidet ſtudio huic materiæ ſe intuliſſe. Nam plura explorauiſſe cognoſcit/ præter ea quæ hactenus nota fuerant. Deinde oium ferme hiſtoricorum qui eum præuenerant noticia diligētiſſime habita: nō tantum quæcūq; ab aliis errata fuerant emēdauit: ſed ēt illa quæ ipſe idē male tractauerat: quēadmodum in edictionibus pictæ ſuæ Geographiæ: quæ q̄ multa elimauit: licet animaduertere. Sed ſi inſpiceremus ultio eius operi nihil deeſſe: ſatis & nobis foret: ex iſtis eius tantum cōmētariis: abſq; alioꝝ ueſtigatione/habitabilē noſtram deſcribere. Verū cum ipſe uideat qbuſdā animaduerſione haud ſatis fidei digna aſſentiri: præterea circa modū deſignationis noſcatur ſæpius neq; opportunæ facilitatis debitam curaꝫ agere: nō indigne moti ſumus: uti ad rationē uſumq; putauimus fore cōmodius: operi conferre & uiro. Quod quippæ abſq; uerboruꝫ inſolētia: q̄ maxime id fieri poterit: efficere conabimur: utrūqꝫ erroris genus attingētes breuiter: uti ratio ipſa dictabit. Primūqꝫ id quod ad hiſtoriaꝫ attinet quæramus: ex qua opinatur ipſe ad maiorem longitudinē uerſus ortum ſolis: ac ad maiorē latitudinē in meridiem: quaꝫ fas ſit: terram nobis notam produci. Non aūt iniquius ſuperficiei diſtantiam tendenteꝫ ab occaſu ad ortum ſolis: longitudinem appellamus: atq; diſtantiam a ſeptetrione in meridieꝫ/latitudinē: cuꝫ in motibus cœleſtibus parallelos ſimiliter numcupemus. Præterea q̄ q̄ maxime maiorē diſtantiam longitudinem dicimus/plane qdē conceſſuꝫ eſt ab oībus. Diſtantiam aūt noſtræ habitabilis/quæ ab ortu ſolis in occaſum extēditur/multo maiorem ea eſſe quæ a ſeptentrionem in meridiem uergit.

Emendatio latitudinis marini.

Cap. VII.

Rimum igit latitudinis terminum ponit & ipſe Thylē inſulā/ſub parallelo qui plagam maxime ſeptētrionaleꝫ terræ nobis notæ terminat/quē parallelum oſtēdit quaꝫ pōt clare/ab æquinoctiali diſtare ſexaginta & tribus gradibus/qualiū eſt meridianus circulus trecētorum & ſexaginta. Eam aūt latitudinē notat/triginta & uno millibus ac q̄ngētis ſtadiis/uelut gradus quilibet ex quingētis ſtadiis proponēdus conſtet. Poſt hæc regionē Aethiopum Agiſymbānoie/& praſſum p̄montoriū ponit ſub parallelo qui plagā maxie auſtralē nobis cognitam finit/quē paralleluꝫ ſub hyemali tropico ſiſtit:

Quare omnis latitudo inter æquinoctialē & tropicū hyemalē/ac inter Thylē & æquinoctialem: in unū coacta: gradus fere ſeptem & octoginta cōplet: ſtadia uero quadraginta & tria millia ac qngenta. Conat aūt rationem auſtralis finis oñdere p obſeruationes quaſdā fixarū: ut ipe putat: & p itinera quædā terra mariq; facta: quoꝝ quodlibet attingemus breuiter. In obſeruatione qdē fixaꝝ: in tertio operis ſui uolumine: ſub his uerbis memorat. Zodiacus ſup torridam zonam totus fert: ex quo in ipſa umbræ mutant: & omnes ſtellæ oriuntur & occidunt: ſola āt minor urſa icipit ſupra horizontē tota uideri in Ocelis plaga ſeptētrionali: ſtadiis quinq; milibus & quingētis. Parallelus enim p Ocelē gradibus undeciꝫ & duobus quintis eleuat. Ab Hipparcho āt tradit: minoris urſæ ſtellā quæ auſtralior in ea eſt: quæ ue ultima in eiuſdē cauda notat: a polo diſtare gradib⁹ duodecim & duobus quintis: ac ab æquinoctiali pfectis ad tropicū æſtiualeꝫ/polū arcticū cōtinuo ferri ſupra horizontē: auſtralē uero magis demergi. Præterea his q ab æqnoctiali ad tropicum hyemis pgunt: auſtralē polū ſupra horizontē eleuari: ſeptētrionalē uero deprimi. Vnde p hæc euentus ſub æqnoctiali: aut iter geminos tropicos ſolū narrat. Quod aūt aliqua notitia p obſeruationē fixaꝝ uere habita fuerit: in locis magis auſtralibus quā circulus æquinoctialis minime tradit: ueluti ſi alicubi ſtellas auſtraliores q̄ æqnoctialis ſupra uerticē poneret: ſeu ſi meridionales umbras in æquinoctiis ad auſtrū declinare diceret: aut ſi oēs ſtellas minoris urſæ oriri aut occidere oñderet: ſeu ipſaꝝ aliquas nō oīno uideri/auſtrali polo ſupra horizontē elato. Per ea āt q̄ deinde tradit/quaſdam narrat fixas obſeruatas fuiſſe: q̄ tñ mentem ſuā oīno nō aſſerūt. Inquit enim eos q ab ındis ad Limyricā nauigāt: ut Diodorus ſamius narrat in tertio: taurū in altiori eius loco ad mediū cæluꝫ habere/& Pliadē ad mediū antennaꝝ. Qui aūt ſoluūt ab Arabia ad Azaniā: recta ad meridieꝫ nauigāt: & aduerſus Canobū ſtellā: q illic hippos: hoc eſt equus appellat: & lōge auſtralior eſt. Stellæ āt q̄ illic uident: apud nos haud noſcant: & canis priuſq̄ procyon orit: ac orion totus ante pūctū ubi ſol ad tropicū æſtiuū cōuertit. Ex his ergo ſtellarum obſeruatiōibus: quaſdā habitatiōes manifeſte oñdit magis ſeptentrionales quā æqnoctialis: ueluti cuꝫ dicit Taurū & Pliadē fieri ſupra uerticē nauigātib⁹: hæ enim ſtellæ circa æqnoctialē ſūt. Quaſdā āt nō auſtrales magis quaꝫ ſeptētriouales oñdit. Nā Canobus ēt uideri pōt a lōge magis ſeptentrionalibus: q̄ ſit tropicus æſtiuus: pluresq; ex fixis quæ apud nos ſemp latēt: ī locis magis q̄ nos auſtralib⁹/ac magis etiaꝫ ſeptentrionalib⁹ q̄ æquinoctialis: ut circa ſituꝫ Meroes: ſupra horizōtē uideri pñt: quēadmodū ipſe Canob⁹ hic ſupra terrā eleuat: minimeq; ab his uidet qui magis q̄ nos ſeptētrionales exiſtūt. Hunc quippe qui ad meridiē magis tendūt: hippuꝫ: hoc eſt equū appellāt: nec hoc noīe alia dicitur ex nobis īcognitis. Deinde infert ſe etiā ex mathematicis demōſtrationibus p̄cepiſſe: quod Orion totus apparet ante tropicū æſtiuū: his q ſub æqnoctiali habitāt: apud quos etiā Canis: prius q̄ procyon oriri īcipit. q d uſq; ad Syenē ſeruat. Ex qbus etiā obſeruatiōibus: nihil ꝑpriū aut neceſſariū eſſe uidet: q d habitationū ſitus magis auſtrales ſint q̄ circulus æquinoctialis.

Eadē emendatio ab itinerū peragrationibus. Cap. VIII.

i

IN peragrationibus aūt computans itinerū dies ſigillatim a magna Lepti ad Agiſymbā regionē: hāc uiginti quatuor millibus ac ſexcētis & octuaginta ſtadiis/magis auſtralem q̄ æqnoctialis oñdit. Nauigādo uero dies ſolutionis a Ptolemaide/quæ eſt in Troglodytica regione/ad Praſſuꝫ ꝓmontoriū colligens/cōcludit hoc eſſe auſtralius æquinoctiali/ſtadiis uiginti & ſeptē millibus ac octingentis. Vnde infert Praſſum ꝓmontorium & Agiſymbā regioneꝫ æthiopū: quæ etiā ut ipſe fatet ab auſtrali plaga nō terminat æthiopiā/ in frigida zona oppoſiti noſtri orbis/iuxta eiuſdem uiti rōnem ſitā eſſe. Nā uiginti & ſeptem millia ſtadioꝝ & octingenta in meridiano conſtituūt gradus quinquaginta & quinq; & tria quinta/quor gradibus exaltera æquinoctialis pte: iuxta eaſdem cœli qualitates Scythæ ſecedunt & Sarmatæ: qui ſeptentrionalia paludis Mæotidis incolūt. Reducit igit & ipſe numerum ſtadioꝝ ad dimidiū: minus ue/hoc eſt ad ſtadia duodeciꝫ milia: quot hyemalis tropicus ferme diſtat ab æqnoctiali. Cauſas aūt huiuſce ſectiōis eſſe tradit diuerſiōes: ac inæqualitateꝫ itinerū: miſſis his rōnibus: ex qbus nō tantum corripere neceſſe uidebatur/ſed etiā numerū ad medietatē optatā redigere. Primū enim in peragrationū narratiōe refert: Septimū flaccuꝫ qui in Libya militauerat: a Garamatib⁹ ad Aethiopas: triū menſium ſpacio pueniſſe/uerſus meridiem iter agentem: Iuliū uero Maternū a magna Lepti & a Garame/una cū rege Garamantum qui Aethiopibus belluꝫ indixerat/uerſus meridiem ſemp ꝓfectū: in quattuor menſibus ueniſſe ad Agiſymbā æthiopum regioneꝫ/quo ſcilicet in loco Rhinocerotes cōueniunt. Horum utrunq; ex ſeipſo īcredibile eſt: partim q d interiores æthiopes: nō adeo a Garamantibus abſunt: ut ſpaciū triū menſiuꝫ requiratur: cum garamantes ipſi maxime æthiopes ſint: & ſub eodem degant īperio: partim quia ridiculuꝫ eſt regem per ſubditas ſibi ꝓuincias: recta a ſeptē triōe ad meridiē iter egiſſe/cū uerſus ſolis ortuꝫ & occaſuꝫ/gentes illæ longiſſimis effundātur ſpaciis/& quod nullibi moras itercapedine di-

gnas traxerit. Ex quibus non ab ratione eſt: uiros aut hyperbolice locutos fuiſſe: aut ſic ad meridiem intellexiſſe: quẽadmodum uulgo dici ſolet ad auſtrum uel ad notum: hiſq; ab uſos magis: q̃ diligentiæ ueritatis innixos.

Eadem emendatio a nauigationibus.

Cap. IX.

Einde nauigationes inducens inter Aromata & Rapta/ refert quendam Diogenẽ: ex his unũ qui Indiam migrauerant: cum diuertiſſet: & profectus iuxta Aromata eſſet: ab arctico borea impulſus fuiſſe: cunq; ad dexteram Troglodyticam haberet regionem: uiginti & quinq; diebus: ad paludes unde Nilus fluit penetrauiſſe: quibus Raptorum promontorium paulo ad auſtrum magis extenditur. Theophilum etiam narrat: unum ex his qui in Azaniam ſolueranta Raptis: impulſu auſtri: uigeſima die ad Aromata ueniſſe. Horum uterq; quot dieru3 ea nauigatio foret: non expreſſit. Theophilus quidem: ut inquit: die uigeſima applicuit: Diogenes uero uigeſima quinta die: iuxta Troglodyticã nauigauit. Vterq; enim licet retulerit quot diebus nauigauerint: nõ tamen aperuit quot dierũ ea eſſet nauigatio/ ob uentor; uarietatẽ atq; mutationes: quã fas fuit in tãto tẽpore fuiſſe. Præterea neq; ad ſeptentriones: neq; ad auſtrum continuo ſe nauigaſſe inquiunt: ſed ait Diogenes ſe tantu3 ab arctico impulſu3 borea: Theophilus uero ſe nauigaſſe p̃ auſtrum. Reliquã aũt nauigationes/ quod eandẽ æqualitatẽ cõtinuo ſeruaſſet/ neuter rettulit. Non enim credendum eſt tam multis diebus/ eundẽ flatus tenorẽ fuiſſe ſeruatum. Vnde & cũ Diogenes ab Aromatibus ad paludes quibus Raptos; promontoriũ paulo auſtralius eſt: uigeſima & qnta die nauigauerit: & Theophilus a Raptis ad Aromata/ quæ diſtantia maior eſt/ die uigeſima p̃tranſiuit. Præterea aſſerente Theophilo unius diei naturalis nauigationem/ ſi ſecunda fiat/ mille ſtadiorum eſſe: tñ inquit nauigationẽ a Raptis ad Praſſu3 promontorium/ quæ multorum dierum eſt/ a Dioſcoro quinq; millium ſtadiorum tantum modo poni. Na3 facilime inquit: ut decet: ſub æquinoctiali uariantur uenti/ propterea quia acceſſus iuxta æquinoctialem ex utraq3 ſolis parte pernitiores ſunt. Ex his igitur æquius erat numero dierũ nõ aſſentiri: & ꝓpterea (qđ efficatius eſt) quoniam cõputatio facta: æthiopas & Rhinocerotũ cõuentũ: in frigidam alteram zona3 oppoſitæ habitabilis terræ extẽdit. Ratio enim ipſa aſſerit/ oía animalia / omneſq3 plantas/ æque ſimilitudine3 unam trahere/ ſub una cæli qualitate/ aut aeris temperie: hoc eſt ſub eiſdem parallelis/ aut ſitibus æqualiter ab utroq3 polo diſtantibus: iuxta proportionem: unam omniu3 æqualitatem eſſe. Quare Marinus iuxta hyemalem tropicum latitudinem perſtrinxit/ nulla præbita ratione tantæ cõtractionis: ſi admittat quis dierũ numerũ/ & peragrationum nauigationumq3 ſeriem: quaꝫ ipſe exprimit. Sed hoc animaduertens ille/ numerũ tantũmodo diurnorum ſtadioru3 minuit: idq3 præter modum & conſuetudinẽ agit/ quouſq3 ad optatum & opportunum parallelum deueniatur. Agendum autẽ contra fuit. Nam diurnæ quidẽ peragrationi: eidemq3 poſſibili facile fuit credendum/ æqualitati uero itinerum ſeu nauigationum/ aut quod p̃ linea3 rectam omnino itum fuerit/ aſſentiri minime decuit/ cum ex his diſtantia quæſita non poſſet haberi: ſed nouiſſe fas fuit/ quod eadẽ latitudo ultra æquinoctialem protẽderetur. Sed hoc ipſum ex certiori modo/ obſeruatione ſc3 quorundam ſuperiorum/ cognoſcere erat æquius. Quod cõtinuo diligẽtiſſime exploraſſet quis/ ſi ex mathematicis plane cõſideraſſet/ quæ in illis regionibus accidunt. Cum uero animaduerſio hæc haud habita fuerit/ relinquitur ut quod magis ratio dictat/ ſimplicius quantitatem diſtantiæ/ quæ æquinoctialem egreditur/ animaduertamus. Habetur autẽ id per genera atq3 formas coloreſq3 animantium ibi degentium. Ex quo non uidetur conſequens eſſe/ parallelum Agiſymbæ regionis quãlibet æthiopum exiſtẽtis/ uſq3 tropicu3 hyemalẽ attingere/ ſed circa æquinoctialẽ terminari. Non enim apud nos in locis illi oppoſitis/ hoc eſt ſub æſtiuo tropico/ colores habentur æthiopum/ neq3 rhinocerotes aut elephantes ſunt: ſed in locis non multo auſtralibus modice nigrẽt quẽadmodum qui intra Syenẽ triginta ſchoenis habitãt: quales ob eandẽ cauſam Marinus ipſe deſcribit eſſe Garamantas/ quos nec in ipſo æſtiuali tropico/ nec magis eodẽ tropico ſeptentrionales/ ſed longe auſtraliores eſſe tradit. In locis autẽ circa Meroem abunde ſunt nigri/ & cum primum puri æthiopes/ ubi & elephantum & monſtroſoru3 animantium genus alitur.

Quod nõ ponẽdi æthiopes ſunt magis auſtrales q̃ parallelus oppoſitus parallelo p̃ Meroẽ.

Cap. X.

Vare huc uſq; actu3 bene uideri poterit: hoc eſt quouſq; tradi
q tio illuc nauigantium narrat: æthiopes Agiſymbam regionem & praſſum promontoriu3 cæteraq; quæ in eodem parallelo ſunt ſita: in oppoſito per Meroem parallelo deſcribere. Id aũt erit in ſitu diſtanti ab æquinoctiali uerſus meridie3 gradibus pariter ſexdecim ac tertia & duodecima: ſtadiis uero octo millibus ac ducentis ferme. Quare tota eiuſdem habitabilis latitudo pene colligitur graduum ſeptuaginta & nouem ac tertiæ & duodecimæ/ uel ad ſummum octuaginta: ſtadioru3 uero quadraginta

millium:distantia quippe inter magnã Leptẽ & Garamam/quẽadmodum Flaccus atq; Maternus tradiderunt/stadiorum ponitur quinq; millium pariter ac quadringentorum. Vigesima nãq; dies secunda profectione est emendata post primum iter/ut tota ad meridiem uel ad septentrionem directa sit:cum primus iter/ob flexiones:dierum triginta fuerit (numerũ autem stadiorus cuiusq; diei eos exposuisse memorat:qui ad id iter sepius peragrauerunt) Quod non tantum pulchre:sed necessario animaduersum est:ob aquandi diuersiones. Quẽ admodum autem de raris:magnis:ac nondum recte exploratis distantiis dubitandum est:sic illis quæ nec magnæ: nec raræ: sed sæpius a multis peragratæ sunt;credi fas est.

Quæ de lõgitudine a marino male tradita sũt.

Capũ. XI.

a D quantum igitur spacium situs nostræ habitabilis congrue extẽdi in latitudinem possit:ex his nobis manifestum est. Longitudinẽ uero Marinus inter duos meridianos notat:quindecim horarum spacia continentes. Nobis autem uidetur distantiaꝫ uersus solis ortum pluſq̃ deceat extẽdi:quæ si contrahatur iuxta fas debitum:non integra duodecim horarum spacia constituere posse uidebitur:cum in ultimo occidẽtis termino similiter ponantur insulæ fortunatæ: plagam uero maxime oriẽtaleꝫ Seres:Sinæq; atq; Cattigarum terminẽt. Distantiam enim ab insulis fortunatis ad transitum Euphratis:per Hierapolim:sub parallelo per Rhodum similiter seruamus & nos:cum numero stadioꝝ ab ipso sigillatim exposito:partim ob frequentem itineris usum:partim quia in maioribus distantiis uidetur & ipse recte collegisse id quod ex flexionibus & inæqualitatibus itinerum emẽdandũ fuerat. Deinde etiam qui ponit gradum unum qualium est circulus maximus trecẽtorum & sexaginta in supficie terræ quingẽta stadia intercipere:quod ex notis certisq; dimẽsionibus liquet. Similẽ autẽ ipsi circunferẽriam Rhodiẽsis parallelũ:hoc est distantis ab æquinoctiali triginta & sex gradibus:quadringẽtoruꝫ ferme stadiorũ esse exponit. Quod enim in eis æqualitatem rectam excedit:secundũ rationẽ parallelorum:ex paucitate sua pinguiori donatur cõputo. Distantiam uero quæ ab ipso transitu Euphratis usq; ad Turrim lapideã compræhẽditur:inquit ipse schoenorum octingentorum ac septuaginta & sex esse:stadiorum uero uiginti & sex millium ac ducentoruꝫ & octuaginta. Deinde a Turri lapidea usq; ad Seras metropolim Serarum;iter esse dicit septimestre:stadioꝝ aũt triginta & sex millium ac ducentoꝝ. Veruꝫ ut ambas distantias ad eundem parallelum redigamus:iuxta æquam contractionem:utrãq; emendemus. In ambabus quippe peragrationibus nõ uidet ipse diminuisse quod ex enormitate circunflexionum supereſt. Præterea & in secundo etiam itinere in easdẽ uidetur incidisse fallacias:in quibus a Garamantibus ad Agisymbam lapsus est. Ibi enim computato stadiorum numero p mẽses quattuor:coactus est eum pluſq̃ ad medium restringere. Possibile quippe non fuerat p tot dierum spacia iter semp uniforme fuisse:quod in septimestri peragratione etiam contigisse haud absurdum est. Immo magis consonum q̃ in itinere garamantum. Illud enim iter a rege prouinciæ actũ est: cum non parua:sicut decuit:diligẽtia: deinde sub cœlo omnino fereno. Peragratio aũt a Turri lapidea ad Seras:ualidiores suscipit hyemes. Subiacet nãq;:ut ipse ponit:parallelis p Byzantium Hellespontumq;. Quare & propter hoc dilatiões multas in itinere ipso fieri necesse fuit:cũ eius profectiõis causa negociatio esset. Refert enim Maen uirum macedonem qui & Ticianus dicebatur:patre & ipso negociatore genitum:huiusce itineris dimensionẽ notauisse. Non quod ipse ad Seras perrexerit:sed q; eo aliquem destinauerit. Sed negociatoruꝫ relatibus & ipse haud assentiri uidetur. Vnde Philemoni non annuit:qui longitudinẽ Iuerniæ insulæ ab ortu solis ad occasum:uiginti dierũ exponit. Memorat enim ipsum a negociatoribus eam percepisse:quos negligentiores ueritatis esse scribit:circa ipsoruꝫ cõmercia occupatos. Eosdẽ etiaꝫ ipse inquit sæpius ex inani quadaꝫ ambitione distantias maxime augere. Hic aũt in septimestri profectiõe nihil memoratu dignũ rettulisse eos qui id iter dimensi fuerint: pro magnitudine temporis:monstrum est.

Emendatio longitudinis nostræ habitabilis a peragrationibus.

Capũ. XII.

q Vam ob causam:& quoniam id iter sub uno solo parallelo non est:sed lapidea turris circa Byzantii parallelum:& Seres:australes magis sunt quam parallelus per Hellespontum:æquum uidetur multitudinẽ stadioꝝ ex septimestri itinere collectoꝝ:hoc est triginta & sex millium ac ducentorum:non ad minus q̃ ad medium secare:sed pro expeditiori intellectu:ad solam medietatem. Vt computari possit data distantia stadiorum decẽ & octo millium atq; centum: graduum uero quinqꝫ & quadraginta cum quarta. Et enim præter rationeꝫ est:& omnino absurdum:in utraqꝫ hac peragratione tantæ sectioni non assentiri:ac in itinere Garamantum eandẽ contractionẽ concedere eo quod in promptu ratio est:differẽtia scilicet animantium degentium in Agisymba

regione: quæ nequaquã possunt præter naturalia sibi loca traduci. A turri uero lapidea ad Seras/id pari modo non acceptare: eo ꝙ eadem redargutio illic adduci nequeat: sed ꝑ totã distãtia3 siue minor ea sit: seu amplior: similis ipsius aeris qualitas & impressio sit. Quẽadmodum siquis quia in furto deprehendi nequeat: iusticiam negligat: contra ipsius philosophiæ documenta. Vnde primam distantiã/quæ scilicet est ab Euphrate ad turrim lapideam: octingentorum ac septuaginta & sex schoenorum: ob itinerum flexiones: ad octingentos tantum schoenos contrahimus: stadia autem uiginti & quatuor millia. Quod ita esse creditur ob itineris particulares dimensiones: ac regionu3 crebros aditus: qbus id iter potitu3 est. Quod autem diuerticula plura habeat: manifestum est ex his quæ Marinus ipse ponit. Peragratio nem enim a transitu Euphratis iuxta Hierapolim ꝑ Mesopotamiam ad Tigrum: & hinc per Garamantas iter Assyriæ Medorũq3 ad Ecbatana: portasq3 caspias. Præterea parthiæ ad Hecatompylon: fas est per parallelum Rhodi/suscipere. Hic enim circulus per dictas regiones scribitur. Viã uero ab Hecatompylo ad Hyrcaniam ciuitatem: necesse est ad arcton declinare: Hyrcania ciuitate in medio prope modum posita parallelorum Smyrnæ & Hellesponti. Na3 parallelus Smyrnæ sub ipsa regione Hyrcaniæ designatur. Hellesponti uero ꝑ australes plagas pelagi Hyrcani: quæ parum magis septẽtrionales sunt q̃ ipsa Hyrcanorum ciuitas a nomine regionis suæ appellata. Deinde iter ab hac ad Margianam Antiochiam ꝑ Ariam/primo ad meridiẽ respicit: cum Aria sub eodẽ parallelo quo portæ caspiæ sita sit. Post ad arcton inclinat: cum Antiochia iuxta Hellesponti parallelum sit posita: a qua aditus ad Bactra uersus solis ortum extenditur. Hinc autẽ ad ascensum montium comedorum: itur uersus septentrione3. Via præterea quæ montana hæc egreditur: ac ꝓducit ad uallem quæ campestria excipit: ad meridiẽ tendit. Horu3 quippe montium septentrionalia: & quæ magis occidentalia sunt: ubi ascensus est: ponit sub parallelo Byzãtii. Quæ uero australia: & ad ortum solis uergunt: sub parallelo hellesponti. Nam montana ipsa tradit ad ortum solis: palam quasi extensa: ad austrum quodãmodo declinare. Inde quinquaginta schoenorum inquit ad lapidea3 usq; Turrim: ad arcton æque uergere. Vallem enim egressos: Turris: ut inquit: lapidea excipit: a qua montes qui ad orientẽ solem progrediuntur: Imao coniugit: qui a Palimbothris ad septentrionem protenditur. Simul ergo collectis gradibus sexaginta: qui notati sunt: ꝑ uiginti & quatuor millia stadiorum cum gradibus quadraginta & quinq; & quarta (tot eni3 sunt a Turri lapidea ad Seras) compræhendit tota distantia ab Euphrate ad Seras in parallelo Rhodiensi graduum centum & quinq; cu3 quarta. Colliguntur præterea ex dimensionibus quas ipse supponit sub eodem parallelo gradus alii: ut dicetur. Primo a meridionali notato ꝑ insulas fortunatas: usq; ad Sacrum hispaniæ promontorium: gradus duo & semis. Deinde ad Bætii fluuii hostia: post hæca bætio ad angusta athlantici pelagi: atq3 Calpem: similiter gradus duo & semis in unaquaq3 distãtia. Hinc a præfatis angustiis usq3 ad Carallim Sardiniæ/gradus uigiti & quinq3. A Carali autem ad Lilybæum Siciliæ: quatuor & semis. A Lilybæo ad Pachynum: tres. Moxq3 a Pachyno ad Tænarum Laconiæ: decem. Inde ad Rhodum: octo cum quarta. A Rhodo ad Issum: undecim cum quarta. De hinc ab Isso ad Euphratem: duo & semis. Colliguntur itaq3 totius huius distantiæ gradus: septuaginta & duo. Quare omnis longitudo terræ nobis cognitæ: hoc est a meridiano designato: seu terminãte ab ultimo occasu insulas Fortunatas usq3 ad Seras: graduũ centum ac septuaginta & septem cum quarta adnotatur.

Eandem emendatio ex nauigationibus.

Cap. XIII.

Oniectare quis posset tandem esse longitudinis spacium: etiam ex distantiis quæ a Marino tractantur nauigãdo ab India usq3 ad sinum Sinarum atq3 Cattigara: si q̃ maxime propius ratio habeatur adiectionis sinuum ac inæqualitatum nauigationum/situumq3 ipsarum regionum. Post enim Colchoru3 sinum a promontorio quod nuncupatur Cory: suscipi inquit sinum Argaricũ: constareq; usq3 ad Curulin urbem: stadiis tribus millibus ac quadraginta. Additq3 eam ciuitatẽ sitam esse ex parte boreæ eiusdẽ Cory promontorii. Colligi igit̃ posset ea trãsfretatio: tertia parte deducta: iuxta normã Gangetici sinus: stadiorũ fermæ duorũ milliũ ac triginta: cum tota uentorũ inæqualitate. Ex quibus ut ad continuũ unũq3 cursum deueniat̃: tertia etiã parte sublata: relinquent̃ stadia mille ac trecẽta & fere quinquaginta: iuxta boreæ situm. Quo redacto ad situ æquinoctialis parralleli: & ad uentũ Subsolanũ: deductione medietatis: iuxta rationẽ anguli transumpti: habebimus distantiã interceptã a duobus meridianis: hoc est ab eo qui ꝑ Cory promontoriũ scribitur: & ab illo qui ꝑ Curulin adnotat̃: stadiorum sexcentoꝝ ac septuaginta & quinq3: graduũ uero fere unius & parte tertia. Horũ enim situũ paralleli: nulla memorabili nota a maximo circulo differũt. Deide a Curuli urbe nauigationẽ inquit esse uersus hyemale3 solis ortũ

uſq3 paluram:conſtareq3 ſtadiis nouem milli-
bus ac quadringentis & quinquaginta. A qui
bus tertia etiã parte dempta/ob uentorum cur
ſuumq3 inæqualitatẽ:habebimus ad unũ con
tinuu3 motũ ad Eurũ fere directũ:diſtantiã ſta
dio⁹ pene ſex milliũ ac trecẽto⁹. A qbus ſextã
partem deducentes:ut redigat diſtãtia ad paral
lelũ æquinoctialẽ:inueniemus diſtantiã horũ
meridionalium ſtadio⁹ eſſe quinq3 milliu3 ac
ducentorũ & quinquaginta:graduũ uero decẽ
& ſemis. Hinc Gangeticum ſinum ponit no-
uem millium ſtadiorum. A paluri aũt ad San-
dam urbe3:quaſi uerſus ortũ ſolis æquinoctia
lem p eundẽ nauigando ſinũ:tradit treſdecim
milliũ ſtadiorũ. Et quoniam ad æquinoctialẽ
ortu3 dirigitur ferme curſus:ex motuũ inæqua
litate:tertia tantum pars ab eodẽ deducit nu-
mero. Quo facto relinquet ut eorũ meridiona
lium ſit diſtantia ſtadio⁹ octo milliũ ac ſexcẽ-
toru3 & ſeptuaginta:graduũ uero decẽ & ſeptẽ
cum tertia. Deinde nauigationem a Sanda ad
urbe3 Tamala facit ſtadio⁹ triũ milliũ ac quin
gento⁹ aduerſus hyemalẽ ſolis ortũ. Pro in-
æqualitate aũt curſus iterũ partẽ tertiam dedu-
centes: habebimus in motu continuo ſtadia
duo millia & trecẽta ac triginta. Ob inclinatio-
nem uero ad Eurum partẽ ſextam inde ſumen
tes:inueniemus diſtantiam expoſitorũ meri-
dionaliũ ſtadio⁹ mille ac noningento⁹ & qua
draginta:graduũ aũt fere trium & ſemis cũ ter-
tia. Poſt hæc tranſitũ a Tamala ad Aureã Cher
ſoneſum:tradit ſtadiorum mille ac ſexcento⁹:
etiam uerſus hyemala ortu3. Quare & ab hoc
numero æque deductis ſimilibus partibus:re
linquet meridionaliũ ipſo⁹ diſtantia ſtadiorũ
octingento⁹: graduũ uero unius cũ quatuor
quintis partibus. Vnde colligi poteſt diſtantia
a Cory promontorio ad auream cherſoneſum:
graduum triginta & quattuor cum quattuor
quintis partibus eſſe.

De nauigatiõe ab aurea cherſoneſo ad cattigara.

Cap. XIIII.

Vmerum ſtadiorum nauigatio
nis ab Aurea cherſoneſo ad Cat
n tigara Marinus non tradit. Ale-
xandrum aũt referre dicit terram
hinc opponi meridiei:eoſq3 qui
ſecus ipſius littora nauigant:intra uiginti dies
ad urbẽ Zabas puenire. A zabis aũt in auſtrũ
nauigando:præcipue læuorſum:intra dies ali-
quot Cattigara puenire. Auget quidẽ diſtantiã
ipſe poſitã:itelligẽs dies aliquot pro pluribus.
Inquit enim ob multitudinẽ eos nũero mini-
me cõpræhẽſos fuiſſe:quod ego ridiculũ exiſti
mo. Quis enim dieru3 numerus infinitus eſt:
etiã ſi totius orbis ambitus exprimendus ſit:
Quid ãt Alexãdrũ coegit:ut cũ diceret aliquot:
intelligeret plures:cũ de Dioſcoro dicat pluriũ
dieru3 nauigationẽ a Raptis ad Praſſum deſcri
pſiſſe? Aequum quippe magis eſt ut intelligat
quis aliquot pro paucis:quo.ſ.modo dici ſoli-
tum eſt. Sed ut non uideamur & ipſi ad multi
tudinẽ quãdam certam diſtantias coniectare:
cõferamus nauigationẽ ab aurea Cherſoneſo
ad Cattigara:nauigatiõi factæ ab Aromatibus
ad Praſſum ptomontoriũ:compoſitam ſcilicet
uiginti die⁹ ad Zabas:& aliquot alio⁹ ad Cat-
tigara:ſicut ea quæ eſt ab Aromata ad Praſſum
promontoriũ poſita & ipſa & uiginti ſimiliter
dierum ad rapta:iuxta theophilũ:ac alio⁹ plu-
rium:ad Praſſum ſecundũ Dioſco⁹:ne quẽad-
modu3 fecit Marinus:aliquot dies p pluribus
æque admittamus. Cũ ergo & ex ratione mani
feſta:& ab ipſo⁹ ẽt obſeruatione ſupio⁹:oſtẽ-
derimus Praſſum ſitũ habere ſub parallelo di-
ſtanti cõtra meridiẽ:ab æquinoctiali gradibus
ſexdecim cum tertia parte ac duodecima:& ab
eodẽ æquinoctiali uerſus ſeptentrionẽ: paralle
lus p Aromata diſtet gradibus quatuor cum
quarta:colligitur diſtantiã ab Aromatibus ad
Praſſum conſtare gradibus uiginti cũ duabus
tertiis. Vnde nõ incõgrue totidẽ graduũ ab au
rea cherſoneſo ad Zabas:& hinc ad Cattigara:
ponẽda diſtãtia eſt. Ab aurea ãt Cherſoneſo ad
Zabas:corripe diſtãtiã nõ oportet:quia pinde
tranſigit:ac ſi ſub æquinoctiali circulo ſita fo-
ret:cũ ea quæ interiacẽt loca:meridiei oppoſita
ptendant. Diſtãtiã uero a Zabis ad Cattigara
cõtrahere decet:cũ nauigatio ea ſit uerſus Notũ
& plagã oriẽtalẽ:ut ſitũ ad normã æquinoctialis
habere poſſimus. Si ergo medietatẽ graduũ tri
buamus utriq3 diſtãtiæ:ppter ignotũ exceſſu3
ipſius/deinde tertiã partẽ graduũ:q ſũt a Zabis
ad Cattigara decẽ cum tertia:demamus:ob in-
clinationẽ annotatã:habebimus diſtantia3 ab
Aurea cherſoneſo ad Cattigara æquatam ſitui
æquinoctialis:graduũ decẽ & ſeptẽ ferme cum
ſexta. Oſtenſu3 aũt eſt a Cory ꝓmontorio uſq3
ad Aureã cherſoneſũ gradus eſſe trigita ac qua
tuor cũ quatuor quintis. Vnde tota diſtantia a
Cory uſq3 ad Cattigara:graduũ fere quinqua-
ginta & duo⁹ colligit. Sed meridionalis qdem
qui ſcribit ꝓ principium Indi fluminis:paulo
iuxta Marinũ eſt occidẽtalior ꝓmõtorio ſeptẽ
trionali inſulæ Taprobanes qđ cory opponit:
& ab hoc diſtat merdionalis deſignatus p ho-
ſtia Bætis fluuii:hora⁹ ſpaciis octo/gradibus
uero cẽtũ ac uigiti. Præterea meridian⁹ huiuſce
Bætis a meridiano notato p iſulas fortunatas
abeſt gradib⁹ qnq3. Vnde colligit meridianũ p
Cory:a meridiano p inſulas Fortunatas deſcri
pto:diſtare paulo plus centũ ac uiginti & qnq3
gradibus. Meridianũ uero p Cattigara a meri-
diano earũdẽ inſula⁹:paulo etia3 plus centũ &
ſeptuaginta ac ſeptẽ gradib⁹:iuxta eandẽ ferme
diſtantiã graduũ collecto⁹ in parallelo Rho-
dienſi. Sed ponat longitudinẽ uſq3 metropo-
lim Sinarũ ītegro⁹ eſſe graduũ centũ ac octo-

ginta:horarum uero duodecim:cũ fateant oẽs eam magis orientalẽ esse q̃ Cattigara. Colligit ergo longitudinem per insulam Rhodum stadiorum esse septuaginta & duorum millium.

De his quæ in expositione particulari marinus dissentit.

Cap. XV.

Istantias generales sic ergo cõtraximus:lõgitudinis scilicet in plagam orientalem/ac latitudinis in
d septentrionẽ:ex causis prænotatis. Præterea quarundam ciuitatũ situs:in locis pluribus emendãdos existimauimus:ubi repugnantes & reprobantes expositiones tradidit:iuxta diuersas annotationes & uariis & incertis sumptas editionibus:quẽadmodum in locorum oppositionibus iniquius pceptis. Tarraconẽ etenim inqt opponi Cæsariæ:quæ Iulia appellatur:ac p̃ hanc dicit meridianũ duci:& per montes pireneos:q nõ pauco magis orientales sũt quã Tarracon. Pachynũ opponi magnæ Lepti ẽt memorat: Himeram Theænis. A pachyno uero ad Himerã:distãtiã esse colligit quadringentoꝝ stadioꝝ. A lepte aũt ad Theænas:ultra mille ac quinquagita stadia esse tradidit:ex qbus Thimostenes asserit. Deinde Tergestuꝫ dicit opponi Rauẽnæ. Ab interiori uero sinu adriatici maris qui iuxta Tilauẽtum fluuiũ est:distare inquit Tergestuꝫ uersus æstiuũ solis ortũ:stadiis quadringentis ac octoginta. Rauẽnam uero uersus hyemalẽ ortum: stadiis mille. Similiter Chelidonæas:refert oppositas esse Canobo. A camãta aũt Papho: Paphuꝫ Sebẽnitico. Distãtiã uero a Chelidonæis ad Acamãta:ipe ẽt ponit stadioꝝ mille. A canobo ad Sebẽnyticuꝫ:a Timosthene ponit ducẽtoꝝ & nonagita. Atqui si sub eisdẽ meridianis hæc distãtia esset:procul dubio maior esse deberet:qa subiacet circunferẽtiæ maioris paralleli. Deinde dicit Pisaꝫ a Rauẽna distare uersus notum stadiis septingẽtis: Per partitionẽ uero dimatum & horaꝝ:Pisam in tertia: Rauennam autẽ in quarta hora describit. Londinio ẽt britanniæ Noeomagum cuꝫ retulerit australiorẽ quinquaginta & nouẽ millibus passuuꝫ: magis borealẽ ipsam p̃ climata demonstrat. Et athos mons cum in parallelo p̃ Hellespontũ situs ab ipso esset: Amphipolim & loca sibi circũstãtia supra Atho:& strymonis fluuii hostia sita sub Hellespõto in quarto climate ponit. Similiter cũ Thratia fere tota sub parallelo Byzantii locata sit: omnes ipsius urbes mediterraneas in climate q đ supra eundẽ paralleluꝫ est adnotat. Trapezuntem ẽt dicit se locaturum in parallelo byzantii. Deinde Satala armeniæ ostendẽs esse a trapezunte uersus meridiẽ sexaginta millibus passuum:in descriptione parallelorꝝ byzantii:parallelũ p̃ Satala:non p̃ Trapezuntem ducit. Nilum præterea pollicet ad unguem se descripturum:ex quo primum a meridiana plaga ad septentionẽ/usq; Meroem descẽdisse uidet. Similiter & uauigationẽ ab Aromatibus ad lacus ex quibus defluit Nilus/septentriona li uento fieri inquit: Aromata autẽ multo oriẽtalia magis sunt q̃ Nilus. Ptolemais enim theron/magis orientalis est q̃ Meroe & q̃ Nilus/ decẽ aut duodecim dieruꝫ profectione. Deinde angustiora/quæ iuxta Ocelẽ Chersonesum/& Direm sunt/magis oriẽtalia esse constat Ptolemaide / & sinu adulico/stadiis tribus millibus & quingentis. Præterea etiam illis orientalius est magnorum Aromatum promontorium: stadiorum quinq; millibus.

Quod quædã præt:misit de regionũ finibus.

Cap. XVI.

Misit ipse quædam in referendis regionum finibus:quemadmo-
o dum cum totã Mysiam:a plaga orientali mari pontico terminat. Thraciam ab occasu: Mysia superiori. Præterea Italiã a septẽtrione nõ Rætia aut Norico tãtum:sed Pãnonia finit Pãnoniæ aũt fines a meridiana plaga ponit esse Dalmatiã tãtum: Illiride obmissa. Mediterraneos etiã Sogdianos:& Sacas:a meridie indis conterminos esse tradit. Qui duo autem paralleli magis septẽtrionales sunt q̃ mons Himaus:qui maxime tẽdit ad arcton:per byzantiũ & Hellespontum:neq; p̃ gẽtes præfatas ab ipso describunt:sed præcipue qui per mediuꝫ ipsum pontũ est.

In quibus etiam marinus dissentit ab historiis nostri temporis.

Cap. XVII.

Is atq; huiuscemodi aliis nõ recte animaduertit Marinꝰ:
h siue ob multitudineꝫ divisionemq; uoluminum: siue quia:ut ipse refert:ad postremam suam editionem tabulæ describendæ nondũ peruenerit. Per quã/ ut inquit/climatum:& distantiarum horarum emendationẽ feciset. Quædam deinde præter hæc ponit:quibus nostra temporum cognitio non consentit:quẽadmodum de sinu Sachalitis/queꝫ tradit situm esse a parte occidẽtali Syagri p̃montorii. Omnes autẽꝫ unanimiter qui per ea nauigant loca: plane fatentur eum ab orientali parte Syagri esse:& Sachalitem regionem dicunt Arabiæ:& ab ea sinum denominatum. Semylla etiam Indorum emporium tradit:non solum magis occidentalem esse q̃ Cumarum promontoriuꝫ/sed q̃ Indus amnis. Id aũt tantum australius p̃hibetur q̃ ipsius flumi

nis ora:ut ab his fertur qui hinc eo nauigaue-
runt: plurimũq; ea explorauerũt loca:& ab his
qui illinc ad nos ꝓuenere. Vocaꝯ aũt id Timu
la ab indigenis:a qbus plura alia circa Indiam
eiuſq; ꝓuincias particularius didicimus. Præ-
terea ĩterius multa hauſimus/ab hac ſcz ꝓuin-
cia uſq; aureã cherſoneſum:& hinc uſq; Catti-
gara. Nouimus ẽt q đ illuc tranſfretantiũ cur-
ſus/ad ſolis ortũ eſt:indeq; redeuntiũ:ad occa-
ſum. Referũt ẽt intractabile & iniquũ nauiga-
tionũ tẽpus:quodq; ultra Sinas:Serarũ regio
eſt:Seræq; metropolis. Deindeq; ea quæ ma-
gis ad ortũ uergũt:ĩcognita ſunt:quæ ſtagna
habentꝯ paludoſa:in qbus arundines adeo ma
gnæ ſpiſſæq; fiunt:q đ ex apprehenſu earũ:fiat
trãſitus. Quodq; nõ ſolũ inde ad bactrianã eſt
iter ꝓ lapideã turrim:ſed ad Indos ꝓ Palimbo
thra. Quæ aũt uia eſt a Metropoli Sinaruꝫ ad
portũ cattigara:occaſum reſpicit ac meridiem.
Quare ea nõ icidit in meridianuꝫ ꝓ Seras atq;
Cattigara ductũ:ut a marino traditꝯ:ſed in qui-
buſdã magis oriẽtalibus. Didicimus ẽt a nego
ciatoribꝰ q a felici Arabia ad Aromata nauigãt:
ac Azaniã:atq; rapta/quæ oĩa barbariam ꝓprie
nũcupant:nauigationẽ hanc non eſſe ꝓprie ad
meridiẽ:ſed ad occaſum atq; meridiẽ. Trãſituꝫ
aũt a raptis ad praſſuꝫ:ad ortũ ſolis & meridiẽ.
Stagna ẽt a qbus Nilus defluit:nõ eſſe penes
mare ipm:ſed interius ꝓ multũ:ac ſeriem ꝓfe-
ctionis a littore Aromatũ & a Copis/ad Rapta
promontoriũ:aliaꝫ eſſe q̃ Marinus expoſuerit.
Præterea nauigationẽ diei naturalis illic mul-
toꝝ ſtadioꝝ nõ colligi:ex facili uẽtoꝝ mutatio
ne qui ſub æqnoctiali ſunt:ſed circiter quadrin
gentoꝝ aut quingentoꝝ ſtadioꝝ exiſtere. Eſſe
aũt ſinum primũ cõtinuũ Aromatibus:in quo
poſt unius diei iter ab Aromatibꝰ: Pano uillã
eſſe/ac Oponẽ emporiũ:diſtãs a pano uilla die
bus ſex. Poſt ãt id emporiũ:aliũ tradunt excipi
ſinum Azaniæ origo:in cuius exordio zingina
eſſe ꝓmontoriuꝫ:& Phalangida montẽ tribus
inſignem capitibus:uocariq; ſolũ hunc ſinum
Apocopa:trãſitũq; habere duoꝝ dieꝝ natura-
lium. Deinde poſt hunc ſuſcipi aiunt id/quod
paruũ littus dicitꝯ:hocq; triũ eſſe diſtãtiaꝝ. Poſt
quod aliud q đ magnũ littus appellatꝯ:quinq;
diſtantiaꝝ:qui ambo numeri nauigationẽ ha-
bere ferunt naturaliũ dieꝝ quatuor. Coniungi
aũt iſtis alium ſinum narrant:in quo emporiũ
eſt nomine Eſſina:poſt duoꝝ dieruꝫ ẽt natura
lium tranſitum. Poſtqꝫ Serapionis nauticã ſta
tionem:ad unius diei nauigationeꝫ:hincqꝫ in-
cipi ſinum memorant qui ad Rapta ducit:trã
ſitum habens trium etiã naturalium dierum.
Ac in huius principio emporiuꝫ eſſe aiunt To
naca dictum. Inde iuxta raptum ꝓmontoriuꝫ
fluuium eſſe memorãt:Rhaptum appellatuꝫ/
& metropolim eodẽ nomine dictã:nõ procul a
mari ipſo diſtantem. Sinum poſtea qui a Ra-
ptis ad promontorium Praſſum extendit:qui
ue:licet maximus ſit non tñ uaſtæ altitudinis
eſt;circumhabitant barbari anthropophagi.

De incommoditate qua marinus uſus eſt in deſignatione orbis.

Caꝑ. XVIII:

Væ iuxta traditionem hiſtoriæ
memoratu quodam digna fue-
q rint:huc uſqꝫ tractata ſint. Sed
ne forte quibuſdam uideamur
ſcrupulum mouiſſe/minimeqꝫ
ſoluiſſe/erunt quippe nobis omnia ꝓ particu-
larem ipſoꝝ expoſitioneꝫ nota. Reliquũ eſt ut
quæ ad deſcriptionis ipſius rem pertinent/ani-
maduertamus. Duplex ergo cum forma ſit hu
ius operis/nam cum primo ea ſit/quæ ſuꝑficiẽ
noſtræ habitabilis in ſphærico ponit/ deinde
ea/quæ in plano notatur/unum ambobus cõ-
mune eſt/facilitas ſcilicet operis/hoc eſt quo-
modo etiã abſqꝫ exemplari picturæ/ex ſolis cõ
mentariis/q̃ maxime fieri poſſit/deſcriptio co-
moda habilis q; in tabula fiat. Semper enim a
prioribus exemplaribus noua condere/ꝓ ui-
tium paulatim conceptum/ad diſſimilitudinẽ
maximam duci ſolitum eſt. Siqꝫ modus qui ꝓ
cõmentaria captatuꝫ/forte non ſufficit ad con-
dendam tabulam his quibus exemplar imagi
nis deeſt/omnino impoſſibile fiet optato quo
dam potiri. Id modo pluribus accidit in mari
ni opere. Non enim/ex ultima eius editione/
exemplares tabulæ ponuntur/ſed ex cõmen-
tariis eam exprimere conatur:falluntурqꝫ pla-
ne in pluribus/ob ineptam operis illius formã
atq; confuſionem/ueluti cuilibet rem experto/
intueri licet. Cum enim ex quolibet notato-
rum locorum neceſſe ſit ſitum longitudinis ſi
mul ac latitudinis habere/ut loca ubi oporteat
poſſint figi/in editione Marini/id cõfeſtim in-
ueniri non poteſt. Alibi enim latitudines ſo-
lum diuiſim tradit/ut res tulit/in notatione pa
rallelorum/alibi tantum longitudines:ceu in
deſcriptione meridionalium:nihilqꝫ amboruꝫ
ſimul haberi cõmuniter poteſt:ſed in his paral
lelos/in aliis meridionales inuenimus poſitos/
ut habita una poſitione deſit altera. Sed cum ꝓ
cõmentaria rem agimus/neceſſe fit utrorumqꝫ
cognitionem ſimul haberi/cum in oĩbus ali-
quid ſemꝑ de alterutro ſitu habeatur. Et ſi ſigil
latim in eis nõ ꝓ quiremus/qũæ ꝓ totuꝫ opus
de uno loco traduntꝯ/in multis fallemur/quæ
aĩad nerſione digna ſunt. Præterea in ciuitatuꝫ
poſitiõe eas facilius deſcribemus quæ in litto-
ribus ſitæ ſunt/quodaꝫ in ipſis ſeruato ordine.
In locatione uero earuꝫ quæ intra cõtinentem
ſunt/nõ idem obtigit/cũ ipſaꝝ ſitus minime ſi
mul notatus ſit/præter q̃ paucarum/in quibus
quodãmodo contingit longitudinem hic/& la
titudinem ibidem prænotatam fuiſſe.

De commoditate nostri operis in designatione orbis.

Cap. XIX.

